

functorum post festum S. P. N. Francisci, et in diebus obitus Confratrum, minime vero in die septimo, trigesimo ac anniversario.

**1005.** In Missis solemnibus de Requie Celebranti Caeremoniarius adsistit, et incensum datur ad Offeratorium, quod est de praecepto<sup>1</sup>; fit ut in aliis Missis solemnibus, ast in fine solus Celebrans incensatur et non alii<sup>2</sup>. Ad utramque elevationem sacrae Species ab Acolyto incensantur. Ubi Caeremoniarius haberi nequit, serventur quae num. 677 dicta sunt.

**1006.** In impositione thuris et traditione cochlearis et thuribuli omittuntur consueta oscula<sup>3</sup>;

**1007.** Celebrans in fine Missae descendit in planum per gradus in cornu Epistolae, et ad credentiam assumit Pluviale, aut simpliciter deponit Casulam et Manipulum ad faciendam Absolutionem.

## CAPUT VII.

### DE MISSIS IN ORDINE NOSTRO SOLEMNIBUS.

#### § I. — *De Missa conventionali et solemnii.*

**1008.** Regulares Choro adstricti tenentur in eorum Ecclesiis quotidie celebrare Missam Officio diei convenientem<sup>4</sup>, non tamen cum cantu, ut in Ecclesiis Col-

<sup>1</sup> S. Rit. C. 29 Nov. 1856, ad 6.

<sup>2</sup> Rit. celebr. Missam, t. XIII, n. 2.

<sup>3</sup> Caerem. Episc. I. I, c. 18, n. 16.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 20 Decemb. 1783, in Lusitan. ad 1; et 7 Decemb. 1844, in una Sanctimon. Capuccinarum.

legiatis et Cathedralibus; ad secundam vero Missam conventualem de Feria aut Vigilia non tenentur, ut nominatae Ecclesiae.

**1009.** Missa conventionalis consideratur ut solemnis, sive quoad Collectas, sive quoad numerum cereorum in Altari accendorum<sup>1</sup>.

**1010.** Accenduntur in Missa conventionali quatuor candelae, et in solemnitatibus sex.

**1011.** Juxta antiquam Ordinis consuetudinem spectat ad Hebdomadarium celebrare Missam conventualem; in quibusdam festis autem ad Superiorem.

**1012.** In Missa conventionali Clericus, si adsit, si vero non, Laicus, cotta indutus servire debet<sup>2</sup>.

**1013.** Cum nostra Missa conventionali seu solemnii coniuncta esse possunt et sunt (non semper): aspersio aquae benedictae, incensatio, osculum pacis, et Communio Fratrum Clericorum et Laicorum: de quibus in sequentibus.

**1014.** DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE. — Aqua pro aspersione populi benedicitur in Sacristia aut alio loco decenti, a Sacerdote superpelliceo et Stola violacea induito.

**1015.** Si vero diebus Dominicis benedicitur ab ipso Celebrante immediate ante Missam conventualem, hic Alba et Stola coloris diei indutus sit<sup>3</sup>.

**1016.** Sal non toties, quoties fit benedictio aquae, est exorcizandus, sed semel exorcizatus et ad hoc conservatus servire potest toties quoties<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad 7.

<sup>2</sup> Ibid., ad 6.

<sup>3</sup> Missal. et Ritual. Rom., de Benedict. aquae.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 8 April. 1713.

**1017.** Vas ad conservandam aquam benedictam (convenientius) non sit luteum, non testaceum fictileve, sed aereum, stamnove intrinsecus illitum: binis ansis et ore patenti amplectu constans, fundo item paullum quam os angustiori, ita tamen, ut firmiter vas persistare possit<sup>1</sup>.

**1018.** Vas gestatorium aquae benedictae ex simili materia sit confectum.

**1019.** Populus ante Missam conventualem, ab ipso Celebrante et non ab alio, omnibus et solis diebus Dominicis<sup>2</sup>, etiamsi incidat festum solemne, aut fiat expositio SS<sup>m</sup>i Sacramenti, non autem festis<sup>3</sup>, aspergitur aqua benedicta.

**1020.** Aspersio aquae benedictae omittitur illis diebus Dominicis, in quibus Episcopus celebrat, eo quia ipsem Episcopum Ecclesiam ingrediens facit aquae aspersionem<sup>4</sup>.

**1021.** Celebrans indutus Amictu, Alba et Stola Missae diei, et non aliis paramentis (Pluviale non est de pracepto, nisi in aspersione solemni), capite operto ac manibus iunctis, praecedente Ministro (aut Ministris) cum vase aquae benedictae et aspersorio, ad Altare accedit, caput discooperit, genuflectit more solito, si in Altari adsit Sacramentum, et se erigit; in infimo gradu utroque genu flexus, quod servandum est etiam tempore paschali, aspersorium madefactum accipit ac intonat Antiphonam *Asperges me vel Vidi aquam*.

<sup>1</sup> Instruct. Eccles. Mediolan. I. II, p. 2.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 31 Jul. 1665, ad 3 et 5: et 27 Novemb. 1831, ad 11.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 31 Iulii 1665.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 11 Februar. 1702; et Caerem. Episc. I. II, c. xxx.

**1022.** Post haec ter aspergit Altare (nisi adsit SS. Sacramentum expositum, tunc enim aspersio Altaris omititur), in medio, versus cornu Evangelii ac versus cornu Epistolae, dein semetipsum tangendo cum aspersorio in propria fronte. Tunc surgit, aspergit Ministrum aut Ministros genuflexos, genuflectit, si adsit SS. Sacramentum, et sinistra super pectus posita ac dextera aspersorium portans, praecedente Ministro, exspectanteque altero ante Altare, si duo sint, detecto capite Chorum ex parte Epistolae ingreditur, ac primo Superiores, dein omnes a dextris et a sinistris stantes Fratres per medium Chori ambulans aspergit, manente Ministro a sinistra eius.

**1023.** Aspersis Fratribus Choro egreditur ex cornu Evangelii, ante Altare genuflectit, si adsit Sacramentum, aspersorium iterum aquae benedictae intingit ac dein, iuxta locorum consuetudinem, vel per medium viam Ecclesiae procedit aspergendo a dextris et a sinistris populum, manente Ministro cum vase aquae semper a sinistris: vel sistit ad cancelllos et populum aspergit in medio, a dextris et a sinistris.

**1024.** Finita aspersione, aspersorium Ministro porrigit, et iunctis ante pectus manibus ad Altare revertitur, ac stans in medio e tabella seu libro dicit Versiculum *Ostende nobis* etc., et Orationem. Tempore paschali Versiculo *Ostende nobis* etc. adiungit unum *Alleluia*.

**1025.** Dum Celebrans aspersionem facit, submissa voce Ps. 50. *Miserere* recitat, tempore vero paschali Ps. 117. *Confitemini*, quo tempore loco *Asperges me* dicitur *Vidi aquam*.

**1026.** Dum Sacerdos Fratres ac populum aspergit, Chorus, omnibus in lateribus Chori stantibus, prosequitur Antiphonam *Asperges me vel Vidi aquam* cum respectivis Psalmis, quae Antiphonae in fine repetuntur.

**1027.** In Dominicis Passionis et Palmarum, in fine Ps. *Miserere* non dicitur *Gloria*.

**1028.** Si Episcopus Missae Sacrificio assistat, Celebrans, dicto *Asperges me vel Vidi aquam* et ter asperso Altari, ad Episcopum accedit, cum osculo illi aspersorium porrigit; qui accepto aspersorio, primo seipsum, deinde Celebrantem, Ministros, Clerum ac populum aspergit <sup>1</sup>.

**1029.** Aqua benedicta omnibus, etiam Superioribus maioribus, danda est per aspersionem et non per contactum <sup>2</sup>, qui illam capitè aliquantulum inclinato accipiunt.

**1030.** Celebrans finita aspersione in plano ad latus Epistolae vel in Sacristiam vadit, Manipulum ac Planetam assumit, in medium Altaris redit et more solito Missam incipit <sup>3</sup>. Vid. n. 590.

**1031.** DE INCENSATIONE. — Hic primo quaedam statuantur, quae in incensatione in genere, ac postea quae in nostris Missis conventionalibus seu solemnibus observanda veniunt.

**1032.** Ad quamlibet incensationem praeter Caeremoniarium (vid. n. 636 et 677), duo saltem Acolyti inserviunt, quorum unus thuribulum et naviculam cum cochleari portat et suo tempore Celebranti offert.

<sup>1</sup> Caerem. Episcop., I. II, c. xxx, n. 3.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 2 Aug. 1698: 27 Sept. 1698.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 17 Decemb. 1888, in una Ord. nostri, ad 8.

**1033.** Celebrans semper stans et nunquam genuflexus incensum imponit, et quidem in suppedaneo si Altare, in plano ante gradus si solum SS. Sacramentum, et in loco suo si aliae res incensandae sunt.

**1034.** Item stent et non genuflectant Ministri, qui Celebranti thuribulum et naviculam porrigunt <sup>1</sup>.

**1035.** Thus modo sequenti imponitur: Celebrans parum se vertit ad Ministros, qui ad eius dexteram sunt, dein sinistra super pectus posita, manu dextera cum cochleari, quod ei a Caeremoniario tenente naviculam apertam porrigitur, ter thus carbonibus ardentibus imponit dicens, ad primam thuris impositionem: *Ab illo benedicaris*, ad secundam: *in cuius honorem*, ad tertiam: *cremaberis. Amen.* Postea cochlear secundo Ministro restituit et Crucem super thuribulum apertum producit, nihil dicens.

**1036.** Cum SS. Sacramentum solum incensatur, omittitur omnis benedictio, nec Crux super thus formanda est.

**1037.** Ad Offertorium Missae propria habetur benedictio pro impositione thuris.

**1038.** Incensatio vero sic fit: Celebrans post thuris impositionem ad Altare se convertit, postea thuribulum a Caeremoniario accipit et quidem manu sinistra ad supremam partem catenulae prope annulum, dextera vero ad inferiores partes supra operculum; dein sinistra manu aliquantulum ad pectus firmata, sola manu dextera thuribili ductus praescriptos producit, et post unumquemque ductum paululum quiescit, ut distinguantur incensationes.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 4 April. 1699, ad 8.

**1039.** Sub incensatione Celebrans nihil dicit, nisi ad Offertorium. Vide num. 1062 et 1064.

**1040.** SS. Sacramentum, Crux, Evangelium ac Celebrans, cum incensantur infra aut extra Missam, triplici ductu incensantur.

**1041.** In Missis solemnibus cum Ministris sacris, post Offertorium incensantur etiam Assistens, Ministri, Clerus ac populus.

**1042.** Celebrans, dum Altare aut res incensat sive stans, sive ambulans, sive genuflexus ut in incensatione SS. Sacramenti, magnam conservet dignitatem et tranquillitatem; et dum infra incensationem genuflectit ad Altare, ambas manus, quibus thuribulum tenet, super oram Altaris teneat, ut sit in ordinariis genuflexionibus, cavens tamen, ne thuribulo ardenti aut propria paramenta, aut Altaris mappam et antependium damnificet.

**1043.** In Missa nostra conventuali aliisque Missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis, quamvis sine Ministris paratis et sine cantu celebrantur, *ex gratia* incensationes Altaris perficere possumus<sup>1</sup>.

**1044.** Festa, in quibus apud nos incensum dari debet, sunt festa maiora Domini: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, Dominica SS̄mae Trinitatis, festa SS̄mi Corporis Domini, SS. Cordis et Nominis Iesu, quibus annumerari debent ultimi tres dies Hebdomadae sanctae.

**1045.** Porro festa principalia B. Mariae V., scilicet: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 17 Decemb. 1888, in una Ord. nostri, ad 3.

**1046.** Similiter datur incensum in festis S. Joseph Sponsi B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, in festis maioribus Ordinis, scilicet: in festo S. P. N. Francisci, Ss. Stigmatum, S. Antonii, S. Bonaventurae, S. Clarae, in omnibus festis Sanctorum ac Beatorum Ordinis nostri, et in festo Dedicationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum, nec non in festo omnium Sanctorum Ordinis.

**1047.** His accedunt festa Titularis et Dedicationis Ecclesiae, Patroni principalis Dioecesis et civitatis seu loci. In reliquis festis tolerantur usus Provinciarum.

**1048.** Celebrante ac Ministris in Sacristia paratis, finita Tertia, respective Sexta, Celebrans, quin incensum ponat in thuribulo, caput cooperit, et facta Cruci debita reverentia de more ad Altare cum Ministris vadit ac Confessionem incipit, genuflexis Ministris a dextris et a sinistris.

**1049.** Finita Confessione, Celebrans Altare ascendit, dicens: *Oramus te, Domine* etc., more solito Altare osculatur; erigens se caput inclinat Cruci, ad Ministros in medio gradus superioris stantes manibus iunctis se verbit, tantillum ad cornu Epistolae, ac incensum imponit thuribulo, ut dictum est sub n. 1035.

**1050.** Benedicto incenso ad Altare se convertit, a Caeremonario cum osculis thuribulum accipit, Sacramento, si adsit, genuflectit, surgit, Cruci profunde inclinatur et incensationem incipit.

**1051.** Facta inclinatione, primo incensatur Crux triplici ductu in apposita figura sub num. 1, 2, 3 indicato: quo facto caput iterum profunde Cruci inclinat, ac Reliquias incensat, primo quae sunt in cornu Evangelii,